

*LA.* gnate mi, salve. *PH.* bene factum te advenisse,  
Pamphile;

atque adeo, id quod maxumumst, salvom atque validum.

*PA.* creditur.

*LA.* advenis modo? *PA.* admodum. *LA.* cedo, quid  
reliquit Phania

consobrinu' noster? *PA.* sane hercle homō voluptati  
obsequens

460 fuit dum vixit; et qui sic sunt haud multum heredem 10  
iuvant,

sibi vero hanc laudem relinquont "vixit, dum vixit, bene."

*LA.* tum tu igitur nil attulisti plus una hac sententia?

*PA.* quidquid est id quod reliquit, profuit. *LA.* immo  
obfuit;

nam illum vivom et salvom vellem. *PH.* inpune optare  
istuc licet:

465 ill' revivescet iam numquam; et tamen utrum malis scio. 15

*LA.* heri Philumenam ad se accersi hic iussit. dic ius-  
sisse te.

*PH.* noli fodere. iussi. *LA.* sed eam iam remittet. *PH.*  
scilicet.

*PA.* omnem rem scio ut sit gesta: adveniens audivi modo.

*LA.* at istos invidos di perdant qui haec lubenter nuntiant.

470 *PA.* ego me sciō cavisse ne ulla merito contumelia 20  
fieri a vobis posset; idque si nunc memorare hic velim  
quam fideli animo et benigno in illam et clementi fui,  
vere possum, ni te ex ipsa haec mage velim resciscere;  
namque ēō pacto maxume apūd te meo erit ingenio fides,